



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 11. An Divina Fides discursui innitatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

DISPUTATIO XI.
AN DIVINA FIDES DISCURSUI
INNITATUR.

492. **N**on est quaestio de discursu praerequisito ad voluntatem credendi, quo nobis approximamus per signa credibilitatis, & alia media, absque ulla haesitatione, & dubio Verbum Dei; sed quaestio est, an actus divinae fidei revera sit discursivus, ita ut vel formaliter, & explicitè, vel saltem implicitè fiat discursus iste, cui nitatur actus fidei divinae, quo credo aliquid à Deo revelatum, scilicet quidquid Deus revelavit est verum; atqui Deus hoc revelavit: ergo est verum; atque hoc modo actus divinae fidei circa mysterium revelatum, sit conclusio, vi formae syllogisticae legitime deducta ex praemissis. Quatuor sententiae circumferri solent, de quibus meminit Exim. Doctor disp. 6. de Fide sect. 4. quae ad duas reduci possunt. Prima docet actum fidei esse discursivum. Ita Cardinalis de Lugo disp. 7. sect. 9. adducens pro sua sententia, Okamum, Gabrielem, Almainum, atque Marsilium, & ex nostris P. Vasquez, Becanum, Huradum, Ripaldum, & alios Recentiores. Secunda sententia docet discursum, qui frequenter intervenit solum esse dispositionem praeviam, seu conditionem approximantem motivum divinae fidei, qua quidem conditione praesupposita actus fidei, elicitur sine discursu per simplicem adhaesionem ad Verbum Dei, ac proinde actum fidei non esse discursivum: Ita Exim. Doctor disp. 6. sect. 5. ubi pro hac sententia citat D. Thomam 2. 2. quaest. 1. art. 1. Cajetanum ibi dubio 4. & 1. part. quaest. 1. art. 2. Capreolum in 3. distinct. 24. quaest. 1. art. 3. Canum lib. 12. de locis cap. 3. conclusione 3. eandem sententiam docent Valentia disp. 1. quaest. 1. puncto 2. plurésque alij, quos citat, & sequitur Oviedus.

S E C T I O I.

Resolvitur Controversia.

493. **A**spero cum secunda sententia: Actus divinae fidei non est discursivus. Probat 1. ratione fundamentali Eximij Doctoris; necessarium admittendus est aliquis actus divinae fidei, qui non sit discursivus, sed per modum simplicis assensus, & adhaesionis ad Verbum Dei; atqui tali actu semel admisso, idem dici debet de quolibet actu divinae fidei, quandoquidem fides utpote specie una, ut constat ex Paulo ad Ephes. 4. *Una fides*, non potest respicere objecta formalia diversa; ergo omnes, & singuli actus divinae fidei, sunt simplices assensus, & adhaesiones ad Verbum Dei, & nullatenus discursivi. min. & conseq. tenent. maj. verò prob. si aliquis discursus fieri posset in fide divina, maxime ex illis duobus princi-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 4.

pijs de fide, quae Adversarij sumunt: nimirum, quidquid Deus dicit, est verum: sed Deus hoc dicit; ergo est verum: sed ex istis principijs infertur aliquem actum fidei non esse discursivum; ergo &c. Probat 2. min. vel illa duo principia creduntur per discursum, vel sine illo. Primum dici non potest, siquidem assignari non possunt alia priora principia, ex quibus pendeant; immò licet assignarentur, de illis iterum rediret eadem quaestio, & interrogatio, & sic procederetur in infinitum, quod dicendum non est; ideoque hoc argumentum est evidens demonstratio pro alijs scientijs, ex quo omnes fatemur in scientijs omnibus sistendum esse in principijs, quae sine discursu cognoscantur; unde altera pars vera est, scilicet illa principia credi sine discursu: atqui assensus talium principiorum, est assensus divinae fidei, ut Adversarij docent; nullus etenim actus fidei divinae elici potest, nisi assentiamur Deum veracem, & sapientem dicere; ergo necessarium est, fateri esse aliquem assensum fidei simplicem, & sine discursu per simplicem adhaesionem ad Verbum Dei. Hoc argumentum adeò efficax visum est Eximio Doctori, ut dicat esse evidens.

Probat 2. Firmitas actus fidei eadem est ubique, ne habetur ab alio, nisi immediatè à prima veritate dicente, quae à se est veritas: conclusio autem habet certitudinem ab alio, scilicet à certitudine praemissarum: sed non potest actus fidei habere certitudinem, non quidem à certitudine praemissarum, sed immediatè à prima veritate dicente, si discursivus sit, & non potius simplex assensus per simplicem adhaesionem ad Verbum Dei; ergo actus divinae fidei nequit esse discursivus, sed necessariò debet esse simplex assensus per simplicem adhaesionem ad Verbum Dei. Confirmatur 1. Judicia praevia ad actum divinae fidei, non sunt illativa actus fidei; ergo actus fidei non est discursivus. Probat 2. ant. praemissa in syllogismo eareus sunt judicia illativa, quatenus proponunt intellectui identitatem extremorum cum medio, ex qua, & propter quam, in conclusione infert identitatem extremorum inter se; ideoque non potest assentiri per conclusionem majori firmitate identitati extremorum inter se, quam assensus sit per praemissas identitati extremorum cum medio; quae est ratio, propter quam & apud Philosophos, & Theologos conclusio non potest esse certior praemissis: atqui judicia praevia ad actum fidei, non ita repraesentant Verbum Dei, sed proponunt illud, ut dignum majori assensu supra motivum praemissatum, & ut intellectus Verba Dei super omnia adhaereat; ergo judicia illa

N u n t

prævia

prævia ad actum fidei non sunt illativa actus divinæ fidei. Vide à num. 505. Confirm. 2. Sub hypotefi impossibili, de qua diximus num. 152. in qua fingeremus, quòd Deus semper cognosceret res aliter, ac sunt in se, & quòd semper diceret aliter, ac cognoscit, possemus elicere conclusionem certam de re dicta: v. g. Si Deus diceret Incarnationem dari, possemus has præmissas, & syllogismum conficere: Deus infallibiliter cognoscit hic, & nunc non dari Incarnationem, & hic & nunc infallibiliter dicit aliter, ac cognoscit: sed hic, & nunc dicit dari Incarnationem; ergo infallibiliter hic, & nunc datur Incarnatio. Hæc enim consequentia non minùs legitime inferitur ex illis præmissis, quàm inferatur ex his alijs: infallibiliter datur, quidquid Deus dicit dari: sed Deus dicit dari hic, & nunc Incarnationem: ergo infallibiliter datur Incarnatio: atqui conclusio ex primis præmissis deducta non est actus fidei ex eo, quòd non sit simplex assensus per simplicem adhæsiorem ad Verbum Dei, sive ad meritum Verbi Dei; ergo neque hæc secunda erit actus fidei eo ipso, quòd non sit simplex adhæsiore ad Verbum Dei, sive propter meritum Verbi Dei, sed propter meritum identitatis extremorum cum medio.

495. Respondebis cum Cardinali de Lugo: hæc nostra argumenta nisi falso supposito, quòd nempe omnis assensus divinæ fidei debeat habere pro motivo, & ratione assentiendi testimonium, & Authoritatem Dei: docet enim iste Author, impossibile esse, quòd credamus veracitatem Dei propter ejus revelationem, vel quòd credamus, Deum aliquid revelasse, quia verax est, cum possit esse summè verax, quin aliquid revelet. Quare ait, primam veritatem, & revelationem Dei debere credi immediatè, & non propter aliud, aut propter testimonium Dei, ut in ipsis fundari possit assensus Fidei circa mysteria revelata; cum non possit intellectus assentiri alicui objecto sive clarè, sive obscure, nisi ejus veritas appareat vel immediatè, & in se, sive evidenter, sive obscure, vel mediare, & propter connexionem cum alio, quòd ultimò apparet immediatè, & ex terminis, & in quo intellectus ultimò sistit. Unde fidei resolutio ita est facienda; formandus, inquit, est syllogismus iste: quidquid Deus revelavit, est verum: sed Deus revelavit se esse trinum; ergo hoc est verum: in hoc namque syllogismo utrique præmissæ assentimur per fidem immediatè, & propter se, non verò mediare, & propter aliud: neque propter testimonium Dei, cum hoc solo discrimine, quòd circa majorem propositionem versatur habitus fidei per actum supernaturalem omninò clarum, & evidentem ex terminis, & qui nullo modo nitatur motivo divinæ revelationis. Circa minorem verò propositionem fides elicit assensum immediatum quidem, & ex sola apprehensione terminorum, non tamen evidentem, sed

obscurum, licet certum, & supernaturalem, ad quem indigemus pia affectione.

Contra tamen 1. Quia actus, quo assentimur primæ veritati lumine naturæ notæ, non est actus divinæ Fidei, sed naturalis demonstratio: atqui assensus Fidei divinæ non potest nisi naturali demonstrationi: ergo non potest nisi primæ veritati ut cognitæ per illam naturalem demonstrationem. Probatur maj. omnibus iis argumentis, quæ dedimus num. 137. 138. & 249. in quibus Scriptura Sacra non ad aliud revocat Motivum fidei nostræ, nisi infallibile Dei verbum; quòd etiam constat paritate fidei humanæ, quæ non revocatur nisi ad humanum testimonium: ergo &c. Contra 2. ex D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 1. ubi ait: *Fides, de qua loquimur, non assentitur alicui, nisi quòd est a Deo revelatum*, & in tertiam distinctione 29. quæst. 1. art. 2. ad 2. ubi ait: *Objectum Fidei non est Veritas prima secundum quòd est in re existens tantum, sed secundum quòd est nobis divinitus annunciata, quia Fides ex Auditu est*; ergo assensus præstitus divinæ veritati per naturalem demonstrationem non est actus divinæ Fidei. Contra 3. quia hæc sententia incidit in doctrinam Scoti, quam impugnavimus à num. 137. quæ pro motivo assentiendi assignabat evidentiam terminorum absque alio respectu ad divinum testimonium, quòd moveret ad illum assensum: solum enim ab ea distinguitur, quòd Scotus apponebat cognitionem terminorum evidentem; Lugo verò obscurem: sed illa sententia sustineri non potest, ut constat ex ibi dictis; ergo neque ista responsio sustinenda est.

Contra 4. Habitus fidei utpote deserviens ex intrinsicis suis ad eliciendos actus, quibus cognoscimus per speculum in ænigmate, ut ait Apostolus 1. ad Corinthios 13. non potest deservire, nisi ad eliciendos actus, qui nisi non possint solâ evidentia objecti attracti, Etenim actus nitens evidentia objecti attracti, non est actus attingens per speculum in ænigmate: atqui actus, quo evidentia naturali assentimur primæ veritati, non est actus, quo cognoscimus per speculum in ænigmate: ergo non est actus fidei. Probatur mi. actus, quo videmus per speculum in ænigmate, est ille, quo captivamus intellectum in obsequium fidei Christianæ; ut docet Apostolus in 2. ad Corinthios 10. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*: atqui quando proponitur intellectui evidentia terminorum, & propter illam assentitur, non ita captivatur. Captivitas enim illa sit media pia affectione, imperante intellectui, ut eliciat assensum altiore supra meritum motivorum præcedentium, ita, ut nitatur per simplicem adhæsiorem Verbo Dei, ad quem altiore assensum necessitatus non erat intellectus, idè quæ indigebat pia affectione imperante, sine qua poterat se retrahere ab eo altiori assensu: quò respexit Innocentius

centius XI. inter 65. propositiones damnans 19. quæ sic habebat: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mercatur pondus rationum ad assensum impellentium*: atqui ad evidentiam lumine naturæ notam, propter quam assentitur, non habet intellectus hanc subjectionem voluntati, neque facere potest voluntas, ne intellectus assentiat rei, quæ lumine naturæ sibi nota proponitur: ergo &c. *Contra 5.* Quia imperceptibile est, quod dicit Lugo in altera responsionis parte: nimirum revelationem ita ex ipsis terminis proponi intellectu, ut propter illam præcisè assentiat; quamvis enim revelatio per signa credibilitatis extrinsecè appareat evidenter credibilis; at quòd intrinsecè in se ipsa ex ipsis terminis ita credenda proponatur, percipi non potest; ergo ex hac quoque parte responsio conruit.

498.

Respondet Lugo, ut huic ultimæ difficultati satis faciat, revelationem divinam immediatè, & nudè sumptam, qualis facta fuit Apostolis, & Prophetis, sufficientem non esse, ut propter ipsam credamus; bene verò revelationem divinam mediatè acceptam, id est, constitutam ex immediata Dei revelatione facta Apostolis, & Prophetis, & ex propositione Ecclesiæ, vel Parochi, qua nobis Mysteria olim revelata traduntur: complexum enim istud vocatur à Lugo revelatio mediata Dei: Ratio ejus est; quia locutio Parochi est locutio Dei per Parochum, & quædam vox, qua Deus ipse testatur se revelare ea, quæ traduntur; quod autem hæc mediata solutio, licet non sit evidens, sed obscura, sit tamen ex terminis credibilis propter circumstantias, quibus proponitur, id est propter Miracula, & signa, quibus Deus illustravit Ecclesiam, ex eo patet, quia hæc omnia sunt pars divinæ revelationis, est constitutum revelationem mediata Dei: unde non est necesse, quod divina hæc revelatio credatur prius propter aliquod motivum ab ipsa distinctum, cum identificetur cum ipsa, & sit essentialiter ejus complementum, quidquid eam reddit credibilem; quod hoc exemplò declarat; sicut enim apparatus, quo Legatus Regius venit ad Pontificem, ostendit, illum esse Regium Legatum, atque ita, quando loquitur, judicamus, eum loqui ex parte sui Regis, non quidem propter autoritatem famulorum, qui ipsum comitantur, sed quia ex terminis constat, orationem cum tanto apparatu, tantisque circumstantiis factam esse orationem Legati Regij; sic etiam ex terminis, non quidem evidenter, sed obscurè apparet, doctrinam, quæ tot signis, & miraculis insignita, & cum tanto apparatu proponitur ab Ecclesia, vel Parocho, proponi quidem non autoritate privata, sed divina, ita, ut ex ipsa connexionione terminorum intellectus possit immediatè assentiri, & accedente imperio voluntatis possit etiam sine formidine dicere: hæc est vox, Locutio, & Doctrina Dei.

Contra tamen 1. Hæc responsio confundit testimonium humanum cum divino, & signa credibilitatis appoximantia Verbum Dei cum Verbo Dei: ergo, qui assentitur propter testimonium Parochi, aut propter testimonium Ecclesiæ, non assentitur actu Divinæ fidei. Probatur aut. locutio aut propositio Parochi; locutio, aut propositio Ecclesiæ, non constituunt, sed supponunt testimonium Dei, quod prædicant, & proponunt, ut latè constat à num. 446. quod exinde patet: quòd si propositio Parochi esset Uox, & locutio Dei, ille, qui diceret: *Credo id, quod dicit Parochus, quia hoc in Evangelio continetur, non autem, quia Parochus dicit*: hic enim esset Hæreticus, aut saltem contra fidem peccaret, siquidem per illam exclusionem testimonium Dei contemneret, atque à motivo suæ fidei rejiceret; ad eum modum, quo quis diceret: credo id, quod sanctus Paulus scripsit, non tamen credo, quia est in ejus Epistolis scriptum; sed quia idem in Evangelio traditur: atqui dicere talem hominem ita contemnentem testimonium Parochi esse Hæreticum, & peccare contra fidem, est absurdum, & rationi repugnans: ergo &c.

500.

Contra 2. Quamvis locutio Parochi nudè sumpta non sit Verbum Dei, si tamen sit Verbum Dei conjuncta cum revelatione præterita, & Deus reverà loqueretur per Parochum tamquam per suum legatum, jam locutio Parochi esset completa Locutio Dei; proindeque, qui contemneret testimonium parochi, contemneret testimonium Dei: sed hoc dici non potest: ergo locutio Parochi non est locutio Dei. Probatur maj. ille, qui verba de se completè expressiva alicujus rei assumit, & ordinat, ut nomine suo rem expressam significet audienti, ipse procul dubio completè loquitur per ea verba: atqui ita se haberent respectu Dei verba Parochi: ergo Deus per illa verba loqueretur; ac proinde illa essent locutio Dei. *Contra 3.* Fieri potest, ut fateatur Lugo, quòd Parochus Mysterium verum, & fallum proponat cum iisdem circumstantiis; in quo casu, aut fieri posse, ut ille, qui utrumque Mysterium audit, credat verum per fidem quidem Catholicam, falsum autem per fidem humanam, quin appareat ulla diversitas ex parte experientiæ, sed in eo casu non potest esse credibile immediatè, & ex terminis per Fidem divinam quòd locutio Parochi sit locutio Dei propter circumstantias, quibus proponitur ea doctrina, ut ex terminis patet: ergo illæ circumstantiæ, ut ab Adversario adducuntur, non sunt sufficientes, ut locutio Parochi constituat cum revelatione præterita locutionem Dei; ac proinde actus, quo aliquis assentiret locutioni Parochi adhuc vestitiæ illis circumstantiis, non est actus, quo assentiret per simplicem adhæSIONEM ad Verbum Dei. Quare Doctrina ita credita propter testimonium Parochi non respiceret testimonium Parochi creditum divina fide propter ipsum.

Probatur 3. conclusio. Signa credibilitatis, 501.

N n n n 3

quibus

quibus ostenditur evidenter credibilis fides Catholica, non sunt sufficientia, ut ostendatur evidenter credibile testimonium Parochi proponentis v. g. doctrinam credendam ab audiente, nisi quatenus constat doctrinam Parochi conformem esse Doctrinæ, quam tradit Ecclesia; atqui testimonium Ecclesiæ non est Verbum Dei, sed applicatio Verbi Dei, ut supra diximus, & ait Tridentinum sess. 4. in Decreto de editione, & usu Sacrorum Librorum. *S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctorum*; ideoque Ecclesia non condit novas revelationes, sed explicat illas, quæ factæ sunt à Deo; ergo multò minus testimonium Parochi erit locutio Dei, proindeque credere illi testimonio propter se ipsum, non est credere locutioni Dei. Probatur maj. per signa credibilitatis, licet ostendatur Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam Dei, ut diximus num. 414. at per hæc signa non ita proponuntur omnia dogmata clarè, & evidenter, ut non maneat locus liti, disputationi, & controversiæ, ut experientia constat; Etenim in Conciliabulo Arriminenfi sexcentorū Episcoporum sub Constantio Anno 372. quando de Doctrina Arrij agebatur, tot, & tanti, qui signa credibilitatis non negabant, nihilominus dicebant, quòd doctrina Arrij non esset difformis fidei doctrinæ; quod non aliter damnari potuit, nisi ab Ecclesia Catholica, quæ infallibilis est in proponenda doctrina fidei, & declaranda Dei locutione, proindeque licet Ecclesia Catholica non possit falsum pro vero definire, neque tradere fidelibus credendum eadem verisimilitudine falsum pro vero; at Parochus potest, ut Adversarius docet, eadem verisimilitudine proponere mysterium credendum falsum, & verum: ergo &c.

502. Confirmatur ex D. Thoma, qui, quando minister Evangelij Mysterium aliquod proponit, quin ostendat conformitatem illius doctrinæ cum doctrina Ecclesiæ, non recurrit ad miracula, quæ Religionem Catholicam faciunt evidenter credibile, sed ad miraculum aliquod speciale, quod & mysterium illud reddat evidenter credibile: sic enim habet 2. 2. quæst. 5. articulo 2. *si aliquis Propheta prænunderet in sermone Domini aliquod futurum, & adhiberet signum mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur ille intellectus videntis, ut cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quod prædicatur in se evidens non esset, unde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Quibus verbis clarè ostendit Angelicus Doctor signa credibilitatis, quibus ostenditur, Religionem Catholicam esse veram, non reddere evidenter credibilem quamcunque veritatem in particulari, nisi revocetur ad doctrinam, quam tradit Ecclesia tot miraculis contestatam, ideoque ad illud particulare secundum se sumptum opus esse altero signo convincente; quod valdè conformè est cum do-

ctrina, quam de revelatione privata dedimus num 85. Unde signa concomitantia prædicationem Parochi non possunt illum constituere perfectius tradentem ut Ministrum Verbi Dei, quam constituunt Ecclesiam: atqui Ecclesiam non constituunt ut loquentem nomine Dei, sed ut approximantem verum sensum Verbi Dei, ut constat ex num. superiori, & ex num. 497. ut fidelis credat per simplicem adhesionem ad verbum Dei assensu firmiori supra firmitatem motivorum præviorm præcedentium ad illum assensum; ergo neque Parochum constituunt loquentem nomine Dei, sed ut approximantem verum sensum Verbi Dei, ut audiens credat per simplicem adhesionem ad Verbum Dei. Alia quæ tradit Lugo ad explicandam suam doctrinam ex industria prætermitto. Quamvis non ignorem aliquos acriter in hanc partem contra ipsum pugnare; eò quòd doceat præsupposito motivo ex merito suo non sufficiente ad præstandum assensum firmissimum absque ulla formidine, possit tamen deservire ad illum firmissimum assensum, superveniente supernaturali specie suavis, quam Spiritus Sanctus infundit. Cæterum de his egimus à num. 464. ubi vindicavimus doctrinam istam ab argumentis, quæ contra ipsam congeruntur, & probavimus, tales species de potentia Dei absolute non repugnare, quare solum superest modò ut argumenta adversaria expendamus.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 1. *Comparat testimonium Dei cum medio demonstrationis, & ait: sicut in scientia Geometria materialiter scita sunt conclusiones, formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per que conclusiones cognoscuntur, sic agitur in fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima &c. Unde ipsi veritati divina fides innititur tamquam medio: atqui medium pertinet per demonstrationem ad discursum; ergo & testimonium Dei ad fidem. Confirm. Fides ab Apostolo definitur: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: atqui argumentum proprie pertinet ad discursum; ergo actus divina fidei est discursivus. Respondeo dist. maj. comparat cum medio demonstrationis quantum ad rationem formalem, conc. quantum ad modum concurrenti, nego maj. & dist. mi. medium, quod tantum se habet ut objectum formale, nego, quod etiam se habet ut illativum, conc. mi. & neg. conseq. nam fides non respicit testimonium Dei, nisi per simplicem adhesionem ad ipsum, idèdque non respicit illud, ut illativum, ut constat ex num. 494. quod etiam significavit D. Thomas eodem loco ab Adversariis adducto, ubi ait: *Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quod est à Deo revelatum.* Ad*

504. Ad Confirmationem conc. maj. & dist. min. argumentum propriè pertinet ad discursum, si argumentum sumatur solum per similitudinè nego; si sumatur per identitatem, conc. mi. & nego conseq. Ratio est, quia sicut Apostolus in eo textu dicit: quòd fides est substantia, non quidem sumpta substantia per identitatem, sed per similitudinem, eò quòd fides, quamvis sic accidens, imitetur nihilominus substantiam in hoc, quòd sicut substantia substat accidentibus, & est eorum fundamentum, sic fides est fundamentum spei; quare in hoc sensu per similitudinem dicitur argumentum, quia licet non sit discursiva, continet perfectionem discursus quoad certitudinem, cum non minus, sed multò magis certificet nos de re, quam credimus, quàm actus quicunque scientiæ comparatus per discursum; unde Theophilactus hoc loco, ut notavit Charleton disp. 12. de fide sect. 2. num. 6. *argumentum vertit manifestationem.*

505. Objicies 2. Tunc intercedit verus discursus, quando assentimur uni rei propter aliam distincto actu cognitam; atqui per actum fidei divinæ credimus rem revelatam esse veram, quia Deus eam revelavit: idque distincto actu cognovimus ab eo, quo credimus revelationem; ergo actum fidei elicimus per verum discursum. Prob. maj. Discurrere nihil est aliud, quàm unam rem ex alia deducere, sive propter assensum unius rei assentiri alteri, quam video ex eo sequi; ergo &c. Respondeo dist. maj. distincto actu cognitam, ita ut cognitio prior sit causa posterioris, vel saltem ratio ipsa objectiva, vel motivum assentiendi præmissis sit ratio, & motivum assentiendi conclusioni ex illis deductæ, conc. si cognitio prior non ita concurrat, neg. maj. & dist. pariter min. nego conseq. Ad probationem dist. eodem modo ant. & nego conseq. Ratio ex dictis num. 494. est, quia firmitas conclusionis tota se habet in præmissarum firmitate, ideòque ferè omnes Philosophi, & Theologi tanquam lumine naturæ notum docent, conclusionem non posse esse certiorè, aut evidentiorè, quàm assensus priores, ex quibus deducitur, proindeque priores assensus debere esse aut causam conclusionis, aut motivum objectivum eorum debere esse rationem assentiendi per conclusionem: at actus divinæ fidei non ita procedit; nam signa credibilitatis, & alia motiva, quæ procedunt ad elicendas conclusiones prævias ad actum fidei, quibus testimonium Dei nobis approximatur, non sunt causa actus divinæ fidei, neque motivum illorum actuum est ratio assentiendi per fidem, sed prævijs illis cognitionibus, earumque motivis voluntas imperat intellectui, ut eliciat actum ex motivo altiori, & firmiori per simplicem adhæsiōnem ad Verbum Dei, ideòque actus fidei, utpote nitens altiori & perfectiori motivo, atque rationi formali, quàm sit motivum identitatis extremorum cum medio representa-

tum per prævias illas cognitiones, est firmior, & certior, quàm cognitiones illas præcedentes; ut sæpè diximus, & satis constat ex 19. Propositione ab Innoc. XI. damnata, quam dedimus num. 497.

506. Quare præmissæ respectu conclusionis vel concurrunt ut causa Physica necessaria ad conclusionem, ut aliqui intendunt, vel ut causa moralis, quæ magnam habet Analogiam cum causa physica naturali respectu sui naturalis effectus, consistentem in eo, quòd, sicut effectus naturales consequuntur suas causas, ita, ut non possint eas in perfectione superare; sic etiam assensus, qui deducitur per discursum, non possit excedere in certitudine, aut evidentia præmissas, ex quibus infertur; ex quo apparet, præmissas esse medium objectivum, aut causam, & rationem formalem, cui innititur conclusio. Actus autem fidei divinæ econtra se habet; siquidem motivum, quo per signa credibilitatis movetur intellectus ad judicandum, Deum esse summè veracem, & revelasse mysteria Religionis Christianæ, non est motivum, cui innititur actus fidei; non enim credimus fide divina mysteria propter motiva credibilitatis, sed unice propter auctoritatem divinam dicentem; unde certitudo divinæ fidei non commensuratur cum certitudine cognitionis præviæ, sed cum Auctoritata divina per illam cognitionem præviā proposita; sicut quando cognoscimus bonitatem divinam, quamvis cognitio bonitatem illam nobis approximet, illamque nobis proponat dignam amore super omnia, non exinde talis cognitio amatur super omnia, neque est motivum, cui innititur amor super omnia; bene verò bonitas divina per eam cognitionem representata, quæ est medium objectivum, cui per simplicem adhæsiōnem adhæret amor Dei super omnia; sic enim se habet in sua linea actus fidei.

507. Ratio autem est evidens: nam postquam homo sive per evidentiam naturalem, sive per fidem humanam moraliter certam sibi persuasit, Deum esse summè veracem, & sapientem, cognovitque, Deum revelasse mysteria Religionis Christianæ propter argumenta, & motiva, quæ evidentè suadent, illa esse credenda, tanquam à Deo dicta; cum cognoscat Auctoritatem Dei revelantis dignam esse, cui credatur super omnia, assensu nempè certiori, & firmiori, quàm sit ullus assensus fidei humanæ, vel scientiæ, jam tunc ex pia affectione supernaturali adhærendi testimonio divino super omnia, & præstandi obsequium illi debitum voluntas imperat intellectui assensum fidei, atque intellectus eo imperio motus, & roboratus habitu fidei, vel omnipotentia specialiter locò habitus applicatâ, unice propter auctoritatem & revelationem Dei sibi propositam dignam assensu super omnia elicit actum fidei divinæ infallibilem sine respectu, aut intentione ad illa

illa prævía motiva, quibus sibi persuaserat, Deum esse summè veracem, & revelasse mysterium, & sanè elicit assensum certiorè, & firmiorem, quàm fuerint illa iudicia, & prævía priora, eò quòd Authoritas Dei, quæ per illa sufficienter innouit, mereatur assensum firmiorem, quàm merebantur omnia illa argumenta, & motiva, sive scientiæ, sive fides humanæ, quibus priores illi assensus nitebantur; sicuti, postquam voluntas cognouit bonitatem divinam per media naturalia, aut intellectus bonitatem illam per illa media cognitam repræsèntat voluntati, non amat voluntas bonitatem divinam propter motiva, aut vim illius cognitionis, sed amat altiori modò super omnia, scilicet propter ipsam divinam bonitatem cognitam, quæ apparet, ut reverà est, digna amore super omnia; quin cognitio illius bonitatis appareat digna amore super omnia.

508. Quapropter doctrina hæc à nobis tradita, non solum in nostris, sed etiam in Adversariorum principijs certissima est; nam apud omnes Theologos ante actum divinæ fidei duplex assensus, sive duplex iudicium præcedit; primum, quo asserimus, Deum esse summè sapientem, atque veracem; ita, ut neque fallere possit, aut falli, quod lumine naturæ notum est; alterum iudicium est, quo iudicamus, res illas nobis propositas esse firmissima fide credibiles, tanquam à Deo dictas, nosque obligatos esse ad illas ita credendas, in quo jam includitur aliquale iudicium de revelatione, cum ex sola apprehensione revelationis concludi rectè non possit obligatio firmissimè credendi propter illam. Rursus apud Adversarios actus fidei certior, & firmior est, quàm ista iudicia, proindeque est altioris ordinis, habetque altius motivum, quàm prævía illa iudicia; hoc autem motivum non est aliud, nisi testimonium infallibile Dei, quod per illa prævía iudicia repræsèntatur dignum assensu super omnia, quæ asserantur à quocunque qui non sit Deus dicens. Ex his autem Adversariorum principijs facilè inferitur, actum fidei non esse discursivum, neque respicere illos actus prævios, ut causam sui, aut motivum dignum assensu super omnia, cui actus divinæ fidei innitatur: sed respicere illos tanquam approximationes alterius motivi, cui innititur actus fidei, & quod repræsèntatur dignum altiori assensu, scilicet super omnia, quod quidem motivum aliud non est, nisi infallibile Dei testimonium, proindeque actus fidei assentitur super omnia huic testimonio; neque dici potest ullo modo discursivus.

509. Objicies 3. Instando simul solutionem: semel admisâ doctrinâ nostrâ, eodem jure posset aliquis tollere omnem discursum, sive tertiam mentis operationem, & de quocunque alio assensu conclusionis dicere, hunc requirere duplex prævium præmissarum iudicium, non quidem tanquam principium, sed tanquam

conditionem, sine qua non applicatur sufficienter intellectui motivum, cui innititur actus conclusionis, proindeque hunc actum non esse discursivum aliquo illatum ex præmissis, neque pertinere ad tertiam mentis operationem, sed esse meram enunciationem pertinentem ad secundam operationem intellectus; atqui sequela ista est omninò falsa; ergo & doctrina, & solutio nostra. Resp. neg. maj. quæ certè & contra rationem est, & contra experientiam. Est enim contra rationem, quia præmissæ quæ tales attingunt identitatem extremorum cum medio, ut intellectus ex illa, & propter illam inferat identitatem extremorum inter se, proindeque intellectus in conclusione non habet aliud fundamentum impellens ad identificanda extrema inter se, præter illud, quod sibi assumpsit in præmissis identificando extrema cum medio; quare non potest reddere conclusionem magis certam, evidentem, aut infallibilem, quàm sit certa, evidens, & infallibilis identitas extremorum cum medio.

At iudicia præcedentia ad actum divinæ fidei non ita se habent; cum intellectus non assumat motivum illorum iudiciorum ad elicendum actum fidei, sed ad repræsèntandum testimonium divinum dignum majori assensu, quàm esset motivum, quo intellectus sibi assumpserat elicendo illa prima iudicia. Quapropter inferre, quòd ex doctrina nostra tertia mentis operatio tollatur, est manifestè contra rationem pugnan. Est etiam contra experientiam, quæ cognoscimus, per præmissas non repræsèntari nobis objectum conclusionis firmiori assensu dignum, quàm fuerit repræsèntatum in præmissis; ideoque, si præmissæ sint puræ opinativæ, & altera incerta, conclusio evadit incerta; si præmissæ sint naturales, conclusio est naturalis, ut in casu nostro, quamvis prima iudicia, quæ per signa creditilitatis efformamus, naturalia sint, & postea superveniant auxilia divina seu illustrationes Spiritus Sancti motiva repræsèntantia, actus divinæ fidei non evadit naturalis, sed supernus; ex quo apparet ea iudicia naturalia removisse ab intellectu impedimenta, & alia supernaturalia, quæ superveniunt, nec facienti, quod est ex se, unquam deficiunt, esse proportionatas approximationes applicantes objectum divinæ fidei, ut possit elici pia affectio supernaturalis; ut docent omnes Theologi in tract. de gratia. Unde prævía illa iudicia nequaquam sunt objectum formale motivum divinæ fidei.

Ex his autem principijs inferri Exim. Doct. Disp. 6. de fide sect. 4. num. 10. discrimen magnum, quod intercedit inter actum divinæ fidei, & conclusionem Theologicam. Ratio e-
jus est, quia actus conclusionis Theologicæ, quamvis inferatur ex duplici præmissa, revelata nititur motivo naturalis luminis intellectus cognoscentis identitatem extremorum cum medio.

medio, ex qua, & propter quam infert conclusionem identificantem extrema inter se: ideoque actus ille Theologicus semper evadit in substantia naturalis, illiusque certitudo non excedit certitudinem naturalem illius principii, à quo per se pender; at actus divinæ fidei non ita videtur lumini naturali intellectus, sed unice Verbo Dei representato per prævia iudicia, quæ propter intellectus est causa principalis respectu conclusionis Theologiæ, & non proportionatur quantum ad vim illativam præmissis supernis, sed virtuti ipsius naturali expectatæ ad inferendum, quod exinde evidenter patet, quia intellectus perspicacior ex iisdem præmissis nobiliores elicit conclusiones, & facilius se exercet; at respectu actus divinæ fidei non ita contingit, cum intellectus operetur in eo casu ut elevatus, & obediencialiter ad mensuram principii elevantis; sicut occurrit ad omnes actus in substantia supernaturales; ut diximus à num. 406. de Beatitudine.

512. Objicies 4. Ex his præmissis: Deus est prima veritas; ideoque quicquid dicit dari, reverà datur; sed dicit dari Trinitatem: potest intellectus inferre hanc conclusionem: ergo reverà datur Trinitas: atqui talis conclusio est actus divinæ fidei: ergo actus divinæ fidei potest esse discursivus. Probat. min. qui negaret illam formalem conclusionem, confiteretur hæreticus; ergo conclusio illa est actus divinæ fidei. Hoc argumentum egregie confundit conclusionem objectivam, sive objectum conclusionis, nempe Trinitatem, quam sine hæresi negare non possumus cum conclusione formali, de qua agimus, sive cum actu illativo aringente illud objectum, ut patet in hoc syllogismo: quidquid Deus dicit dari, datur; atqui dicit dari Romam: ergo datur Trinitas, hæc inquam conclusio formalis nequaquam inferitur ex his præmissis: ac proinde negari debet, licet conclusio objectiva, nempe Trinitas negari non possit. Quare respondeo conc. maj. & neg. mi. ad probationem dist. ant. confiteretur Hæreticus ex præsumptione, cont. ex infallibili iudicio, neg. aut. & conseq. Ratio est; quia, ut bene notavit Exim. Doctor Disp. 3. sect. 13. num. 12. aliud est tractare de veritate, aliud de præsumptione: qui ergo negaret formalem illam conclusionem Theologicam necessariam, meritò præsumeretur Hæreticus, quia crederetur potius negare obscurum, nempe Trinitatis Mysterium, sive objectivam illam conclusionem de fide, quam quòd negaret evidens, nempe conclusionem formalem ex illis præmissis evidenter deductam: at in re non esset hæreticus, si non negaret principium ullum fidei, aut conclusionem illam objectivam, sed alia absurda cogitatione duceretur negando conclusionem esse rectè deductam ex illis præmissis; sicut Durandus negavit in Eucharistia esse quantitatem Corporis Christi, quamvis sit proprietas satis inseparabilis à materia secundum naturalem possibilitatem, & evidentiā; addit cum Hur-

R. P. Gorman Theolog. Tom. 1.

tado Cardinalis de Lugo Disp. 1. de fide sect. 12. num. 267. neque in foro externo puniendum ut hæreticum hominem negantem eam quidem Trinitatem, sive objectivam conclusionem de fide, sed purè negantem actum illum, quatenus ex motivo præmissarum esse rectè deductum, si esset homo rudis, qui facile errare posset in principio evidenti Philosophico.

Objicies 5. Actus divinæ fidei procedit ex discursu virtuali, quandoquidem assentitur objecto materiali propter formale: ergo potest etiam procedere ex discursu formali. Video magnam esse apud Doctores controversiam de voce, quantum attinet ad discursum virtualem; & certè mirum non est, quandoquidem unum esse virtualiter alterum, multipliciter evenire potest, ita ut in uno sensu sit aliud virtualiter, & non in altero: unde oritur discordia inter Authores, quia aliqui negant, esse virtualiter alterum in eo sensu, in quo negari potest; alteri affirmant in eo sensu, in quo potest affirmari. Ut igitur quæstioni de nomine aditum præcludamus, & rem, ut est reverà, explicemus per regulam generalem notare oportet, quid sit esse unum virtualiter aliud: etenim, ut latè dixi in Philosophia, unum esse virtualiter aliud, non potest intelligi, quòd habeat omnia ea prædicata sibi identificata, quæ habet alterum; ac proinde, quòd æquivaleret omnibus, quibus æquivaleret alterum: si enim sic se haberet, non esset aliud virtualiter, sed realiter, proindeque non tam esset aliud, quam idem. Quapropter unum esse virtualiter aliud, non est æquivalere alteri in omnibus, sed tantum in aliquo, vel aliquibus prædicatis, ideoque erit virtualiter aliud in ordine ad ea prædicata, in quibus æquivaleret; & non erit virtualiter aliud in ordine ad ea prædicata, in quibus non æquivaleret; sic Leo dicitur virtualiter homo in ordine ad sentiendum, non verò in ordine ad discurrendum, & Angelus dicitur virtualiter homo in ordine ad discurrendum, non verò in ordine ad sentiendum; sic ignis dicitur virtualiter sol in ordine ad illuminandum, non verò in ordine ad celeritatem, magnitudinem, & sic de aliis.

Eodem prorsus modo discurrendum est de actu fidei divinæ in ordine ad conclusionem: etenim actus fidei, cum sit vitalis, & actus conclusionis Theologiæ sit etiam vitalis, procul dubio est virtualiter conclusio quantum ad vitalitatem. Rursus cum actus divinæ fidei non sit minus, sed magis certus, quam conclusio Theologia, rectissime dici potest virtualiter conclusio, quantum ad certitudinem, & infallibilitatem. Cæterum quia conclusio Theologia est actus illativus nitens identitati extremorum cum medio, quam sibi efformat intellectus in præmissis, & actus fidei non ita innitatur, sed unice Verbo Dei per iudicia prævia representato, digno quidem firmiori assensu supra firmitatem iudiciorum præviorum, ut constat ex hucusque dictis; exinde dici non potest vir-

Q o o o non nisi sicut supra rem. virtuali-

qualiter discursus in ordine ad vim illativam. Quare ut aliquis actus simplex æquivalat discursui quoad vim illativam, ut accuratè notavit Oviædus, requiritur, quòd assentiatur identitati extremorum cum medio, non quidem per simplicem adhæsiõnem ad Verbum Dei, sed per alia motiva, ex quibus deducitur ea identitas; sic prima veritas lumine naturæ infertur ex creaturis, & revelatio infertur obscurè per signa credibilitatis, atque ex illis, & propter illa motiva, quibus idem simplex actus assentitur, assentitur etiam identitati extremorum inter se juxta infallibilitatem eorum motivorum; quod, ut ex dictis constat, actui fidei non convenit. Unde in forma ad argumentum respondeo dist. ant. procedit ex discursu virtuali, prout æquivalat discursui quantum ad vitalitatem, certitudinem, & infallibilitatem, conc. prout æquivalat discursui quantum ad vim illativam, neg. ant. & consequentiam.

515. Objicies 6. Actus fidei humanæ, ut constat ex experienciâ, est discursivus: sed actus fidei humanæ, & divinæ in ratione fidei sunt ejusdem rationis: ergo actus fidei divinæ erit etiam discursivus. Respondeo neg. maj. quia actus fidei humanæ unice assentitur propter testimonium hominis in linea sua, ad eum modum, quo actus divinæ fidei in linea sua assentitur propter testimoniũ Dei; Unde, sicut judi-

cia prævia ad actum divinæ fidei non sunt præmissæ, ex quibus infertur actus fidei divinæ, sed applicatio divini testimonij, ut adhibeatur fides ipsi debita; ita actus præcedentes fidem humanâ non sunt præmissæ, ex quibus actus humanæ fidei inferatur; sed sunt conditio applicans testimonium humanum, ut fides ipsi debita adhibeatur. Aliqui tamen Auctores existimantes actum fidei humanæ posse esse discursivum, non verò actum fidei divinæ, eò quòd testimonium humanum non possit proponi dignum majori assensu, quàm sint motiva ad assensum præcedentia, concedunt maj. & distinguunt mi. sunt ejusdem rationis, quatenus utraque fides testimonium respicit, conc. quatenus respicit eodem modo, negant mi. & consequ. quia diversitas, qua fides humana, & divina testimonium respiciunt, satis est, quòd fides divina non possit esse discursiva, licet fides humana sit discursiva. Ratio est, quia fides divina respicit testimonium firmiori assensu dignum, quàm fuerint judicia prævia; quòd non convenit conclusioni illatæ per discursum. At fides humana non respicit testimonium dignum firmiori assensu, quàm fuerint judicia ad illum prævia: unde capax est, ut inferatur per discursum; quidquid tamen de hoc sit, verior mihi apparet nostra solutio, & valde conformis principiis hucusque stabilitis, ut expeditenti constabit.

DISPUTATIO XII.

AN ACTUS DIVINÆ FIDEI CIRCA MYSTERIUM COMPONI POSSIT CUM EVIDENTIA IN ATTESTANTE.

516. Evidentia altera est objectiva, quæ stat in actu. Tunc objectum dicitur evidens, proindeque habet evidentiam objectivam, quando ejus apparentia ex merito sui quoad nos talis est, ut intellectum convincat, & necessitet ad clarum assensum, idedque tunc intellectus ad assentiendum non indiget pia affectione, neque in conspectu ejus motivi retrahi potest à voluntate, ne assensum adhibeat: sic, quando mihi proponitur, an totum sit majus sua parte, non possum ex imperio voluntatis cohibere intellectum, ne affirmet, totum esse majus sua parte. sic præmissæ cujusunque demonstrationis, cum sint evidentes, representant evidenter intellectui identitatem extremorum cum medio; atque ex illa evidentia non potest cohibere assensum, quin clarè assentiatur identitati extremorum inter se; quare actus tunc dicitur evidens, quando ex illa evidenti objectiva apparentia elicitur, atque objecto suo assentitur. Atque exinde constat discrimen inter evidentiam, & certitudinem: Nam licet dari non possit actus evidens, qui non sit certus, potest nihilominus dari actus certus, qui non sit evidens: sicut licet dari non possit homo,

qui non sit animal, potest nihilominus dari animal, quod non sit homo: unde certitudo objectiva est illud motivum, cujus apparentia quoad nos ex merito sui exigit, ut certò assentiatur propter ipsum objecto, ad cujus assensum movet: actus verò, quo ita assentimur, est certitudo formalis. Quare si apparentia illa objectiva non rapiat intellectum ad assensum, sed relinquat libertatem ad assentiendum, vel dissentiendum, aut saltem non assentiendum, non erit evidentia, sed certitudo; sicut contingit in actu fidei, ut infra constabit; etenim judicia prævia ad actum fidei in argumentis, & signis credibilitatis fundata proponunt nobis Verbum Dei dignum firmiori assensu supra firmitatem judiciorum præviorum, & tale, cui debeamus firmitimè sine ullo dubio, hæsitacione, aut formidine assentiri; ex quo superveniente illustracione Spiritus Sancti moveatur voluntas ad imperandum intellectui assensum illum firmitimum, ad quem intellectus sine voluntatis imperio non cogebatur, sed poterat dissentiri; ut experientiâ constat; idedque talis actus non est evidens, sed obscurus, at est certissimus, & firmitimus. Quamobrem formalis certitudo, licet & evi-